

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De conventiculis

Disputatio Theologica ...

... Prior eaque historica

**Hardtschmidt, Johann Nicolaus
Gottesheim, Johann Ernst von
Leonhard, Georg Friedrich**

Argentorati, 1705

§. 17

urn:nbn:de:bsz:31-105832

ex lacuna futoris aquâ impurâ mire sibi placerent, tanquam tum demum verè Christiani futuri. Commendabatur libellus ab ipso scriptus quibusdam quæstionibus de passione Domini, & videbatur illo libello plus sapuisse quam viginti pastores; sed revera in illis paucis pagellis, præter id quod quotidie in nostris Concionibus, examinibus & libellis Catecheticis, novî nihil continebatur, nisi phrasæ quædam incommodæ, & de fide, vel parum, vel nihil.

§. 16.

Cum hic apud nos novaturire desisset, **Michael Necker** / **Neckerlin** initio sartor, post caputiorum confector magistri sui vestigia accurate præmere cœpit, præsertim, postquam defuncta uxore priore duxisset Krafftii ancillam, quam ille secum adduxerat. Nec defuerunt tum studiosi ab exteris reduces, qui ita clam docebant, & publice negabant, hujusque hominis conatus mira arte simulandi dissimulandique juvabant, & promovere studebant. Is in ædibus habebat cubiculum in interiore domus parte, in quo conveniebant puellæ, mulieres, viri & Juvenes, ex plebe fere omnes, nisi quod nonnulli studiosi se immiscebant, quorum vita quidem priorum temporum, non referebat istam austeram sanctitatem, sed tum demum, cum (ut loquebantur) cœperant illuminari & renovari. Et hi juvenes imperiti, quod hoc studiorum genere innotescere & inclarescere putabantur, clandestinis artibus etiam hoc suum virus aliis propinabant, quod paulatim multos & aliàs doctos adolescentes invadere cœpit, idque tam diu, donec non sine maximo scandalo res plane in vulgus emanaret, quo & huic novæ sectæ promotori silentium est impositum eo fato, de quo deinceps dicemus.

§. 16.
Neckerlin.

§. 17.

Dum hæc aguntur **Job. Fridericus Klein** SS. Theologiæ quondam Studiosus, furore quodam, nescio quo, correptus, publice & pro Concione cœpit sectæ hujus placita proponere, in vitia invehi, præcipuè tum in ministerium dirè grassabatur; dicebat quod audiverat, sive verum sive falsum, & quod non dixerat, dictum tamen cupiebat. Conciones ultra tempus extrahebat,
moni-

§. 17.
Klein.

monitus respondebat, se spiritu urgeri, ut desistere nequiret; incedebat vultu tristi, cultu simplici & ad speciem composito, commercium illi intimius cum nemine, nisi sua sectæ cultoribus. Omissis literis fere semper cantabat stercorei ingenii homo, qui eo progressus est, ut & cujusdam ancillæ pudicitiam tentare voluisse, certò diceretur, testibus viris honestis. Turbavit hic juvenis imperitus plurima privatim & publice in Ecclesia, donec coram Facultate examinatus errores nec revocare, nec omittere voluit, & hinc ab officio remòtus est. Ipsi vero sectarii in conventiculo quodam fatebantur, *Kleinium* superiorum hortatu motum, voluisse ab incepto desistere, sed ab ipsis confirmatum, ut pœnitentiam quam animo agitabat, omitteret, & contumax expectaret justam Magistratus censuram.

§. 18.

§. 18.
Haug.

Quanto impudentior *Kleinus*, tantò callidior *Joh. Fridericus Haug* SS. Theologiæ olim quoque Stud. idem institutum urgebat, eoque majore ausu pariter & successu quo doctior, & literis humanioribus partim, partim & Theologicis instructus erat. Mysticis ille & Arnoldi scriptis non tantum totum se dedebat, systemata habebat insuper, disputandi artem, quam calluerat, videbatur voluisse dediscere: convitiis proscindebat dissentientes, in vitia præsertim ministrorum, quæ vel fingebat, vel ex sectæ suæ hominibus audiverat, atrociter grassabatur, ex scriptis & exoticorum tractatibus phrasibus sumptis, debacchabatur apud auditores in ea delicta, quæ illius auditoribus, quin & nostris moribus & institutis profus non sunt cognita, & hoc quidem præpostero zelo mire sibi placebat. Monitus videbatur respuisse, præsertim cum theses & quæstiones propositas manu propriâ subscriptâ confirmasset; quo apud eos, qui ex Candore suo Christiano alios æstimant, rem eo perduxit, ut jam in ordinem sacrum adsciscendus esset. Sed cum jam jam putaret, se, quod voluerat, obtinuisse; mox ad ingenium rediit, & adeo enormiter, ut id unicè egisse videretur, quo apud auditores pastores & Ecclesiæ ministros invisos redderet. Vocatus ad Censuram, negavit id, quod sermo ejus scriptus testabatur, ferociter obloqui cœpit, ut sine periculo anima-